



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 18. Carolus VI. de restituenda Benedicto obedientia paciscitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

**Sæcul. XV.** ricum ac Burgundiæ Ducum necnon &  
**A.C. 1403.** Præfulum Benedicto adversantium ab-  
 sentia in optatum propositi sui successum  
 uti non destitit; nam Regis animum re-  
 petitis morbi sui assultibus vehementer  
 debilitatum dexterime in suas partes  
 flectere scivit, cum eidem ferme innume-  
 ras recitaret centurias omnium eorum,  
 qui Benedicto obedientiam restituendam  
 esse judicarent, utque dictis suis plenam  
 conciliaret fidem, tam ponderosis Re-  
 gem adorsus est argumentis, ut Monar-  
 cha se Benedictum pro legitimo Ponti-  
 fice veneraturum jurejurando promitte-  
 ret, & ad contestandam cordis sui læ-  
 titiam ipius Hymnum Ambrosianum in-  
 choaret, quem dein totus adstantium cœ-  
 tus cantando prosecutus est.

## §. XVIII.

*Carolus VI de restituenda Benedicto  
 obedientia paciscitur.*

**V**ix ad aures Bituricum, ac Burgundiæ  
 Ducum pervenerat isthæc rerum mu-  
 tatio, mox Regem illi accedunt, eidem  
 factum hoc exprobraturi. Verum eorum  
 animos facile placaverat, illis declarans,  
 Papam justa, ac æquissima fovere con-  
 filia, & toti Franciæ adeo proficia spo-  
 pondisse, ut diutius eidem obedientiam  
 detre-

detrectare nefas foret. His addidit Rex, *Secul. XV.*  
 Ducem Aurelianensem in se recepisse, *A.C. 1403.*  
 quod velit in casu mortis, cessionis, vel  
 depositionis æmuli sui Benedictum indu-  
 cere ad acceptandam, suoque sigillo fir-  
 mandam cessionis viam, necnon ad omnes  
 contra abdicationis medium factas in-  
 tercessiones, plene revocandas; insuper  
 quod sua auctoritate Dux perlausurus  
 esset Benedicto, ut onera, quibus Eccle-  
 sia Gallicana gravaretur, minueret, & Be-  
 neficiorum collationes, ac promotiones,  
 quæ durante subtractæ obedientiæ tem-  
 pore ab Ordinariis factæ fuissent, ratas  
 haberet, & in sua obedientia Concilium *Monach.*  
*S. Dionyf.*  
*Generale*, quamprimum occasio tulerit, *I. 23. cap. 4.*  
 celebraturus esset. Evidem sat specio- *n. 5.*

sæ erant omnes istæ promissiones: ast fi-  
 des earum valde dubia, cum aliunde Be-  
 nedictus semper solitus fuerit, quicquid  
 peteretur, ultro promittere, nunquam  
 vero promissis stare. Nihilominus o-  
 mnia ista promissa, licet mere illusoria,  
 Bituricensis ac Burgundi Ducum animos  
 captivarunt, ipsa quoque Parisiensis Uni-  
 versitas horum sequebatur exemplum,  
 excepta Normannorum Natione, suum  
 assensum præbere diu ac pertinaciter re-  
 cusante, quæ tamen & ipsa tractu tem-  
 poris sese Gallis atque Picardis adjunxit,  
 sola Natione Germanica neutras ad par-  
 tes inclinante.

### §. XIX.